

II.

REGNUM MORTUORUM.

Nro. 84.

Eysling-Meum, Die Veneris 23. Nov. 1810 (Neov. 2. Nov. 1810.)

De Statu Israelitico.

Conditus per Mosem Judaicus Status — sunt verba immortalis Schiller — memorabilibus eventis accensetur, quæ Annales orbis nobis reliquere — notabilis per ingenii vim, quæ opus perfectum, notabilior adhuc per consuetudina in orbe, quæ ad hoc usque tempus perdurant. Duæ religiones, quæ maxima culti orbis parti dominantur, Christiana & Mahomedana, ambæ religione Israelitarum nituntur, cujus absque præsidio nec Christiana, nec Mahomedana sacra fuissent.

In certo sensu negari nequit, Religioni Mosaicæ magnam Culturæ mentis partem deberi, per eam enim eximii pretii veritas; quæ ratio sibi relicta lenta non nisi explanatione invenisset, doctrina de unico Deo, prævie divulgata, atque ceu objectum coecæ fidei usque in populo custodita, quo perspicacioribus intellectibus ut mentis notio maturescere potuit. — Quo factum: ut magna humani generis pars cunctos lugubres illos errores evitaverit, ad quos Idolorum cultus demum deducere debet, Hebraicæ quæ Status Systema singularem illam adeptum prærogativam, quod religio sapientum non directe

contraria populari Religioni fuerit, ut apud mente cultos Gentiles obtinuit. — Ex hoc respectu Hebræa natio ut memorabilis in universali Historia populus adparere debet, cunctaque huic genti attribui solita vitia, omnes, ingeniosorum virorum ei detrahendi conatus, a jure illi impertiendo nos non prohibebunt. Utilitas, atque indignitas nationis sublime legislatoris meritum haud extirpendo est, neque amplam auctoritatem evertendo, quam ea tanto jure in orbis historia sibi vendicat. Ceu smucidum vulgareque vas, vas, quo vero aliquid pretiosum conditum, a nobis æstimanda, in ea canalis honorandus, quem ut ut immandus etiam fuerit, providentia elegit, pro veritate, nobilissimo omnis boni, nobis præbenda, quem etiam diffregit, ut primum finem suum affecta est. Hæc ratione fiet, ut æque alieni simus, ab impertienda hebræo populo æstimazione quam habuit nunquam, atque ab orbando eum merito, quod nunquam ei denegari potest. Huic ætati honor reservatus videtur, servilem Ideam de gente extinguendi, qua mille aliquot annis servili agendi ratione a reliquis vitæ sociis discreta fuit. Jam in pluribus Statibus Judæi iisdem cum reliquis Civibus Juribus gaudent, & pro honore nationis Judaicæ dictum esto, adiuntur solerter, ut dignos se his Juribus exhibeant.

Merita Dni *Israelis Jacobson* Consistorii Israelitici in Regno Westphaliæ Præsidis, ejusque in promovenda religiosa Cultura suæ

religioni addictorum noti sunt. Ejus in hoc argumento eruditam cogitandi rationem actiones testantur, exemplum præbent sermones, & eam ob rem non sine partis sensu plures Lectores nostri verba excipient. quæ is novissime occasione desponsationis dilectæ suæ filix protulit :

„Quemadmodum olim pater, mater, fratresque dilectam Rebeccam, desponsatam Isaco, perciti sensu a se avelli viderunt, ita & nos, paren es tui, instanti discessui tuo Cara nata! oculos injicimus, & prout ii in discessu benedictionem ei impertivere, ita & vos Cari filii a probo patre benedicimini, qui pios oculos ad Coelos attollit, atque a suavi matre, quæ domesticam salutem suam tam libenter hereditate in dulce pignus suum derivare cuperet; quod si doctorem religionis officii munerisque ratio ad impertiendum id genus benedictionem obligat, si jam adstantes amici, quos amicitia ad partem in hac actu capiendam accivit, intimo tenerrimoque voluptatis sensu se sublimatos vident, quanto non magis paternum Cor adficietur, quod te dilectam filiam cura propiore nunc exsolvit, atque tenerrimo adfectu ad stadium vitæ prosequitur, quodque lubens pro hoc vitæ curriculo quedam vitæ, & memoriam tenenda desideria largiri velle; profecto momentosus hic temporis articulus est, quo vos dilecti filii junctis invicem manibus contueor, quo coram Supremo Numine atque adstantibus amicis perpetuo vinculo conjungimini, atque

hac conjunctione numerosas novas obligationes, sanctissima & veneratione dignissima officia vestris humeris iniicitis; agite, fugacem hunc articulum temporis in usum convertamus, limini grandis huius stadii serio solenniter comparata meditatione immoremur, scrutemurque, an mentem vestram fortassis pro toto residuo tempore quibusdam decretis & cogitationibus initiare possimus, quæ solennem hunc actum, & stadium illud vitæ decent."

„Ad te primum me converto, cara filia utpote quæ patrem propius attinet; audeo asseverare: officia parentum erga liberos in strictissimo vocis sensu a me matreque tua impleta fuisse. U primum lucem aspexisti, vigili oculo, tenera providentia te educavimus, quæ corpus tuum ab isfortuniis, valetudinem tuam a gravibus morbis custodivit, tuoque physico incremento obicem nullum injecit. At tanto minus mentem excolere intermisimus; tam præceptis, quæ semen virtutis & pietatis animo instillarunt, quam exemplo proprio te ad moralitatem perducere contendimus. Non modo in necessariis feminæ cognitionibus, sed & quæ sexum tuum ornant, perficiuntque hæud parce providimus. Et in delectu futuri Conjugii, quem longiore tempore noscendi occasionem habuisti, votis tuis respondimus. Pro his curis, momentoso hoc vitæ tuæ conversionis tempore, nihil poscimus aliud, quam gratum, quem liberi parentibus exhibere pos-

sunt, animum, agendi rationem, quæ palam testatur: hos parentes probos liberos, Civitati utiles Cives educavisse; hoc unum, unaque tranquillitas animi felicitasque liberorum amplissimum proborum parentum præmium est. Id quidem verum: Optimos juvenili in ætate liberos nunquam eos se præstituros, ut non subinde parentibus ansam agridudinis præbeant, ast absit, ut tibi ob id objiciam, potius si quid simile a te factum ignoscere oblivisci volo. Tranquilla ingravata igitur conscientia novum vitæ tuæ stadium ordiri potest, quo promissa liberaque voluntas perpetuo Cæca conjungat nexu; ast non strepera, cogitandi expertis, juventutis hilaritate, non ea inconstante animi levitate, qua ii, qui percipiunt sensibus, fruunturque, non vero cogitant & mente expendant, solent. — Sed serio animo sensuque mitigato, lentiore cum gaudio. — Res etenim ipsa summa gravitate profecto digna est. Vinculum vitæ perpetuum! Socialis ingressus in vitæ epocham in qua communio- nem ambo rerum ineundam habent! Joviale, ridensque gaudium profecto talia in perpetuum vincula neququam condit, eorum auctor solus serius, meditatusque amor esse potest.

Enimvero: si expenderis officia tibi incumbentia intelliges grandes & graves obligationes esse; quæ ad usque tibi incumbabant faciles erant, innocuæ, hilares, mitis argumenti sublimes nulla honestate con-

xæ. — Vita tua lene decurrens rivus fuit, modicis undis susurrando imperturbate temerarieque in siliceo alveo defluens; at jam dein epæ rivulus in flumen tumescet; levis undarum lusus in extremam destinationem mutatur, molares rotas nunc impellere naves oneratas vhere, mercatoum nexumque orbis promovere debet. —

Sed mittamus allegoriam dilecta! salubrosa officia *Conjugis, matrisfamilias, matris*, explenda assumis, quod si pro cunctis his adjunctis votita subjecero, sequere, obsecro, vocem tenere te profecto amantis patris tui.

Ut *Conjux* salutem fortunamque mariti tuam considerabis. Separatio utriusque salutis jam separatio animorum & mentium, jam dissensio est. Quare viro tuo propensa & fidelis ad tumulum esto, noli te affectionibus Sæculi, blanditiis, illicitis insidiarum, levibus dulcisonis verbis irretiri, ad perfidiam duci sinere, quæ hodie quidem jam ad morem elegantis mundi elevata est, at serius ocius in immensam interitus voraginem deducunt, voluntas mariti tua esto, etiamsi votis tuis non respondeat. — Accidi subinde, ut multifariis sub officiorum suorum adjunctis vir inamoens multa experiat, quæ animum ejus pervertunt, labores & collisiones sustineat, quæ eum morosum reddant.

Tali præditus indolo negotiis decedenti, tuis sub anplexibus consolationem, in tuo Colloquio hilaritatem, suavem exhilaratio-

nem fas reperiat. Mansuetudo, & amica præveniendi contentio vinculum arctius nequit amicitiae. Ipso etiam, quo discordia vos interoederet tempore, quo momentanea animorum dissensio irrepsisset, primum tu amoliri hanc aegritudinem cogere, quo non amorem modo mariti, sed & singularem æstimationem certe conciliabis, malefaustamque obvitandi propensionem, rancorem ferventem cautionem, reconciliationi primam manum porrigere renuentem, invalescere prohibebit.

At pari fervore officium matrisfamilias satagito. — Id fini & indolentibusque sexus plane congrue institutum est, quod vir acquirendo, negotiisque extra domum, femina contra adplicationi magnæ rei adquisitæ partis intra domesticos parietes curandæ vacet, hæc quippe præcipuarum muliebri sexus virtutum una nititur, utpote Oeconomica prudentia, amor domesticorum negotiorum; quare stude præcipuas animi oblectationes non foris, ama quidem socialitatem, nequaquam vero societates. Non externa singularitas, honorque, non fruitio solennium, streperarum oblectationum, neque participatio omnium vigentis moris productorum, verum præprimis ordo & exactitudo in obeundis domesticis negotiis, mundities & fini adcommoda parcimonia, hæc sunt, quæ matrisfamilias venerationem mariti, & hominum conciliant.

Quæ denique tuæ, si divina benedictio
liberos tibi largita fuerit, tanquam *matris* &
educatrici tenerorum humani generis Civium
partes sint, nulla epithalamica oratio pleno
in complexu explicare valet; gravitatis dun-
taxat valorisque horum officiorum te admo-
nere possum. —

Spatiosus officiorum campus oculis tuis
obversatur, plenus quidem laboris, cura-
rum, & molestiarum, sed his exantlatis dif-
ficultate ipsa fructuosior.

Continuabitur.

In hac Typographia Viduæ et Haeredum Bel-
nayanorum libri sequentes venales:

- Principia Politicæ, & Rei ærariæ &c. latine
reddita a Volfg. Beke, III. Tomi 6 fl.
Catechismus in usum omnium Ecclesiarum
Imperii Gallici. Juxta Exemplar, Parisiis
a. 1806. apud Viduam Nyon, natam
Saillant, cum Privilegio Cæsareo editum,
e Gallico in Latinam sermonem trans-
latus. 8. 1808. 1 fl.
Schelle Historia Univ. latine II. Tomi 6 fl.
Georch (Eliæ) Jus patrium, III. Tomi 5 fl.
Fedor, és Mária, vagy a' hóltig-tartó ritka
hüseg, es a' nagyra vágyásból származott
gyászos, de méltó szerentsétlenség-
tükhöz N. V. Ajtay Samuel által. 1807.
8. 1 fl. 12 xr.
P. Basilii Alexovics Sermones Sacri, festiva-
les & Dominicales, V. Tomi 8. maj. 10 fl.
Wieland; Teli Regi. 8. Posonyban, 1804. 20 xr.